

fructibus: qui tamen humorem & vigorem  
habent a radice & trunko: ita status mona-  
chalis in occidente: unus est ab uno patre  
deriuans a radice regule Benedi. habet  
vigorem.

Benedictus angelicus doc. e. Tho. in plu-  
rimarum questionum astruendis enoda-  
disq; difficultatibus totam fere hac regu-  
lam eius dictis interserit.

**S**ed quid ego iam beatissimi huius & doctrine ipsius  
quasi cuncta conor congerere testimonia: quin profe-  
cto & innumera illa sint: & sibi ipsi ad propriam comedē-  
clandam causam ipse sufficiat: neque vero verbo aut lingua:  
sed opere & veritate. Opera enim que fecit iuxta beatuz do-  
mini saluatoris exempluz dignissime illi perhibent testimo-  
nium que etiaz ratio fuit illa huic libello preponere. Quā-  
q; si quis etiam sermones illius diligenter attendat liquido  
quidem perspiciet q; per illum spiritus domini sit locutus:  
ipsum igitur audiamus: ipse loquatur. Certe loquela illum  
sua q; optime faciet manifestum.